QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MARTIS XXII. DECEMB.

M. GVILLELMO DE VAILLY, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Paraplecticis prauæ Parotides?

SÆVIT perpetuò morbus, nec qui euentu salutaris est sine periculo soluitur. In fine & principio, etiamsi omnia imbecilliora sint, salus tamen non est certa, vt nec vbi coctio, excretio, aut εὐφορία apparuerit. Coctiones celeritatem securitatémque iudicij pollicentur, dummodò ex toto fiant. Si talia purgentur qualia oportet, confert & leuiter ferunt, leuiùs si & quanta, aliàs εὐφορία praua. Nullus morbus sua specie lethalis, talis à sola magnitudine.

QVALIS debet fiet purgatio, si affectui humores respondeant, si cum coctione & per loca conuenientia expurgentur. Febre ardente correpto rigores, sudores, vomitus, vrinæ, dejectáque biliosa prosunt. Melancholicis varices vel hæmorrhoides superuenientes insaniæ fit solutio, vt & quotidianæ si pituita eijciatur. Abscessus in acutis, paucis salutares, in diuturnis proficui; seriores at meliores crises afferunt qui laxi, fusi, molles ac doloris expertes. Suppurati non reuertuntur.

COCTIONES in diuturnis quocúmque die prodierint bonæ, in acutis meliores si die indice quarto, vndecimo, decimoseptimo. Coctionis opus propriorum ab alienis separatio est, tenue crassum, crassum tenue redditur. In omnibus morbis non venit expectanda. Quiuis calor coquit (febris rigores conuulsiones, & qui vino oppleti repentè obmutuerint persanat) solus naturalis criseωs author, non dierum numerus, non cœli.

QVò vergit humor, & pellit natura, eò ducendus, eò expectandus est. Hyeme per inferiora, æstate per superiora, per inferna abscessus & longe à partibus principibus. Cerebrum per collum, aures, cor per axillas, per inguina iecur, per testes pulmo, per crura, aures, asperam arteriam liberatur. Omnes per aluum, vesicam & nares. Robustiores per debiliores purgantur. Excretio quæuis è directo fiat oportet.

EXCRETIONIS quantitas morbo impar infausta. Sanguis stillans è naribus in ardentibus febribus malum. Quæ post iudicationem relinquuntur solent reuerti, aut alios procreare affectus, sic apoplexia in paraplexiam transit, vbi pituita aut sanguis ventriculos cerebri opplentes deorsum deducuntur, & neruos aut spinalem medullam imbuunt, sicque paralysim (quam nulla committere potest simplex intemperies, vt nec vtráque bilis) inferunt: Quod si naturâ crisim moliente humor, nec totus, nec secundùm motum excludatur, vt per parotides (exiguos circà aures tumores surditatis medicatrices) prauum. Indigna tanto morbo excretio, nec loco idoneo suscepta morbi victoriam arguit.

Ergo Paraplecticis prauæ Parotides.

Asserebat DIONYSIVS ALLAIN Parisinus, anno R. S. 1615.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Harduinus de S. Iacques.
M. Michaël de la Vigne.
M. Ioannes Tournier.
M. Iacobus Perreau.
M. Guillelmus Gerbault.
M. Franciscus l'Espicier.
M. Symon Pietre.
M. Georgius Cornuty.
M. Claudius Boyuin.